

II, 33. a,

133<sup>a</sup>

II, 33<sup>a</sup>



IN  
SERENISSIMVM  
PRINCIPEM - ELECTOREM  
SAXONIAE  
FRIDERICVM AVGVSTVM

NVPER  
EX GRAVI MORBO SANITATI REDDITVM

*E L E G I A*  
AVCTORE  
JOANNE ADOLPHO STEYERO,

R. M. C.

---

Menſe Majo, MDCCCLXXXIV.

---

FRIDERICOSTADII  
EX OFFICINA GERLACHIANA.

8.

IN  
SERENISSIMO  
PRINCIPUM ELECTORUM  
SAXONIAE  
FRIDERICVM AVGVSTVM

AVCTORE  
FR. CALVI

ELLEGI  
AVCTORE  
JOHNE ADOLPHO STEYKO



Quae modo discissis plorabas atra capillis,  
Saxonia, et gemitus, anxia, voce dabas,  
In nova fac posito confurgas gaudia luctu,  
Spiritu et incipias liberiore frui.  
Nam, qui causa tibi iusti fuit ante doloris,  
Vivit adhuc PRINCEPS, incolumisque viget.  
Vivit adhuc, mortis quamvis prope ductus ad oras,  
Integra statque DVCIS nostra salute salus.  
Quanta, cheu, nuper Libitina pericula nobis  
Intendit! quantus terror ubique fuit!

Horret adhuc animus, rigidus tremor occupat artus,  
Cum subeunt mentem tristia fata meam.  
Tempora jam nostris rursus felicia terris  
Ibant, AVGVSTI scepra tenente manu;  
Bellorum regio sensim eluctata ruinas  
Coeperat haec vires jam reparare suas,  
Patria securi subigebant arva coloni;  
Quocunque adspiceres, pax ibi laeta fuit;  
Quassat Amaltheum rediens huc Copia cornu,  
Atque boni quodvis effluit inde genus;  
Publica cessabant mala jam, nisi, nuper obortis  
Quae fracta glacie fecerat Albis aquis;  
PRINCIPIS haec sensim coeunt quoque vulnera curis,  
Et levat hoc miseris ille benignus onus:  
Cum, quod sic populi properat succurrere damnis,  
Tentant, heu! sacrum tristia fata caput.  
Christiadam populus celebrat Paschalia sanctus,  
Atque triumphantum júbila laeta sonant:  
En! fert AVGVSTVM rumor decumbere morbo  
Ferali, neve hic rumor inanis erat.

Obstupet hinc civis, veluti cum fulgurâ terras  
Ignea percutiunt, attonitusque riget.  
Anxius expectat, qualis foret exitus, et quid  
Possset Apollinea nunc opis arte dari.  
Praesto sunt, melius quibus haud Podalirius herbas  
Noverat, inferior queisque Galenus erat.  
Ast incensa mali medicas vis respuit artes,  
Quoque magis premitur, jam furit illa magis.  
Tum vero populi quanta heu trepidatio nostris!  
Pallida cujusvis obsidet ora pavor.  
Tales audires cunctos quoque mittere voces,  
Dum resonant crebrâ pectora tunsa manu:  
„Sic igitur, sub quo nostro Saturnia tandem  
„Tempora credidimus mox reditura solo;  
„Quo nunquam Princeps regnabat dignior ullus,  
„Civibus indulgens nec magis alter erat;  
„Quem facit Augusto similem prudentia prisco,  
„Quemque Tito bonitas, provida cura Patri;  
„Qui ne digna quidem meritorum praemia vidit,  
„Quae quaerit nostra prosperitate sibi;

„Hoc igitur Parcae jam nos orbare minantur,  
„Vna spe populi deliciisque sui?  
„Cuncta tamen tentanda prius, dum spiritus exit  
„Atque redit, nobis spes quoque salva manet.  
„Si non respondent nostris medicamina votis,  
„Aetheris extremam sollicitemus opem.  
„Est rector nobis celsi implorandus Olympi,  
„Audiet hic nostras, nam bonus ille, preces.  
Nec mora, certatim currunt ad Numinis aedes,  
Foemina, vir, veniunt, cum puerisque senes;  
Dumque jacet populus supplex prostratus ad aras,  
Pro Ducis haec fundit vota salute sui:  
„Tu, qui summa geris tanti moderamina mundi,  
„Dirigit et cuius grandia, parva, manus;  
„Tu, qui Saxonico tam clemens annuis orbi,  
„Quae rogitant cives, promptus et usque facis,  
„Pellas atrocem fac nostro a PRINCIPE morbum,  
„Sanus per venas denuo sanguis eat!  
„Fac jubeas saluum longaevam ducere vitam,  
„Illius et signent prospera fata dies!



Tales mille preces se tollunt fidera versus,  
Cingit coelestes ista caterva thronos.  
Audiit Omnipotens, terrisque atque aethere motis  
E folio celsus talia dicta dedit:  
„Vota quid haec aliud, teneri quam pignus amoris,  
„Quo cupit haec Domini commoda terra sui?  
„Quid sunt, mansueti nisi non fallacia sceptri  
„Signa, atque imperii, quod placuisse solet?  
„Talia jam populi exaudiri vota merentur,  
„Et talis Princeps vivere dignus erat.  
Dixit, et a celsis Hygieia labitur astris,  
Miscet se venis nulla videnda Ducis.  
Frangitur hinc morbi paulatim summa potestas,  
Incipit ac sensim mitius esse malum.  
Amplius haud calor et febriles viscera motus  
Turbant, ardenti corda dolore vacant.  
Exerit herbarum se occulta potentia, cursus  
Jam peragit rectos sanguis in orbe suos,  
Ac fugit ex toto sic tandem corpore morbus,  
Ceus pulsus miles, capta ubi castra, fugit.

Vtque suas renovat vernali hoc tempore vires  
Natura, atque virent cuncta colore novo;  
PRINCIPIS et nostri redeunt sic robora membris,  
Ac vegetat faciem sanus, ut ante, color.  
Vos igitur, Cives, damnati solvite vota,  
Nunc bona propitio dicite Verba Deo.  
Jamque piis flagrent flammis altaria cordis,  
Thúra petant largá fidera sparsa manu.  
Namque PATER PATRIAE columis servatus, et inde  
Ducere nunc nobis omnia fausta licet.  
Ipse diu felix AVGVSTVS viver, et illo  
Tempora Saxonibus Principe laeta fluent.








Fol. 3566. 2°

ULB Halle 3  
005 366 526



M. G.







IN  
SERENISSIMVM  
PRINCIPEM - ELECTOREM  
SAXONIAE  
FRIDERICVM AVGVSTVM

NVPER  
EX GRAVI MORBO SANITATI REDDITVM

*E L E G I A*

AVCTORE  
JOANNE ADOLPHO STEYERO,

R. M. C.

---

Menſe Majo, MDCCLXXXIV.

---

FRIDERICOSTADII

EX OFFICINA GERLACHIANA.

8.

